



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 118. S. Inquisitionis Decretum de Sinarum ritibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sec. XVII. *imposturas Jesuitarum* conscripsit, eam-
 A. C. 1656. que insuperhabito mox allegato Pon-
 tificis decreto, quo id sub anathema-
 tis poena prohibebatur, typis edi-
 curavit, atque in ea ipsum summum
 Pontificem in denegatæ justitiæ suspi-
 cionem trahere non dubitavit: quocirca
 Praga Viennam vocatus, Nuntium
 Apostolicum accessit, eidem declarans
 se esse paratum Judici interroganti re-
 spondere, & convictum se, poena capi-
 tali satisfacere accusanti: cum autem
 summus Pontifex eum in carceres con-
 jici, captumque Romam pro dicenda
 causa abduci jussisset, hinc, licet po-
 dagræ doloribus misere cruciatus jam
 septuagesimum tertium ætatis annum
 egisset, a militibus e monasterio suo
 extractus, in ergastulum detrudeba-
 tur, a quo tamen paulopost per Ferdin-
 andum III. Imperatorem liberatus,
 Salisburgi annos natus septuaginta
 quinque pie in Domino obiit.

*Rel. verid.
 de pio obitu
 P. Valer.*

§. CXVIII.

*S. Inquisitionis Decretum de Sin-
 rum ritibus.*

*Vid. supra
 l. 201. §. 66.
 t. 61. p. 218.*

Quantumvis Pater Joannes Morales
 ex ordine Fratrum Prædicatorum
 Missionarius Apostolicus Innocentii X.
 decretum circa ritus Senenses, cujus
 mea-

mentionem supra fecimus, secum al-
 latum apud Sinas promulgarit, nihilo-
 minus refragabantur Jesuitæ, caussati,
 hæc falso a Patre Morales fuisse relata,
 Sedemque Apostolicam hoc decreto
 duntaxat intendere, ut de Sinensium
 ritibus totaque caussa accuratius in-
 strueretur. Hunc in finem rursus Ro-
 mam decreverunt Patrem Martinum
 Martinium, qui summo Pontifici expo-
 suit, permittendum esse Studiosis Chri-
 stianis Sinensibus, ut pro recipiendis
 gradibus, ritus in Aula Confutii in his
 actibus usitatos observare valeant, eo-
 quod ibi nec Templum, nec Sacrificulus
 adesset, nec Minister cujusdam sectæ
 idololatricæ, sed duntaxat Studiosi &
 Philosophi ibidem convenirent, ut Con-
 futium venerarentur tanquam Magi-
 strum suum, & quidem ejusmodi riti-
 bus, quorum prima institutio ac finis
 mere civilis esset, eædemque ceremo-
 niæ, ac genuflexiones coram Confutii
 nomine in quadam tabula descripto
 fierent, quæ vivis adhuc Professoribus,
 Sinensi more, Discipuli præstare solent.
 Alia quoque dubia de ejusmodi ritibus
 sacræ Congregationi de Propaganda
 Fide adeo artificiose proponebantur, ut
 nullam superstitionis labem præseferre
 viderentur. Totum hoc negotium ab
 Alexandro VII. Congregationi S. Inqui-
Hist. Eccles. Tom. LXII. Bb *sitio-*

Sæc. XVII.
 A. C. 1656.

Sæc. XVII. **A. C. 1656.** fitionis commissum, a qua die vigesima tertia Martii juxta Relationem eorum, qui hos ritus tanquam ab omni superstitionis specie alienos exponebant, Sinensibus Catholicis permillum est, ut Nationis suæ ritus utpote mere politicos Confutio, ejusque Parentibus defunctis, præcipue, si absque totius suæ familiæ excidio ejusmodi ritus declinare non valeat, exhibere possent, dummodo adversus id omne, quod superstitionem redoleret, palam reclamant. Hoc Congregationis Decretum Alexander VII. hoc anno approbavit, quod Innocentii X. decisionem revocasset, eo quod ambo hæc decreta sibi invicem non repugnent, utpote secundum diversas rituum Sinensium expositiones & varias ipsius facti relationes: in quibus utpote meri facti quæstionibus Papam esse infallibilem, nemo unquam somniavit, cum nullus Pontifex, nec alii absentes, qui Ecclesiam universalem repræsentant, de aliquo facto aliter quam ad fidem referentium judicari valeant, ambo autem de ipso dogmate conformi ac infallibili judicio deciderint, omnem ritum Deo debitum, a creaturis exhibetur, esse idololatricum proin si ut idololaticus a Viris fide dignis exponitur, ab uno Pontifice damnari, ab alio ob contrariam relationem

permittere potuit, nulla alia culpa in Pontifices redundante, nisi quod ut homines aut delusi fuerint, aut uni parti, non satis audita altera, nimium faciles præbuerint aures; nunquam vero Pontifices imo ne ipsa quidem Ecclesia de lumine Spiritus Sancti, & Apostolicæ infallibilitatis dono, in quæstionibus, quarum veritas a mero hominum testimonio dependet, gloriabatur, uti tamen post sedulam lectionem & examen gloriari potest, ubi agitur de quæstione, an hæretica doctrina in hoc vel illo libro contineatur?

Ceterum referunt Societatis Historici, quod idem Alexander VII. Papa eo tempore literis ad Helenam Imperatricem, Yumlie Imperatoris Conjugem datis, rituum Sinensium praxin a Jesuitis observatam confirmarit: verum fides sit penes hosce Historicos. Utut res se habuerit, id omnino certum est, quod dubia circa hosce ritus per Martini Alexandro VII. Papæ proposita, ut ait Carolus Maigrot Fokiensis in Regno Sinarum Vicarius Apostolicus, multis in rebus non fuerint vera, ac proin Missionarii responsis a Sede Apostolica recte quidem & sapienter ac juxta circumstantias in dubiis expressas datis, inniti non potuerint ad usitatum apud Sinas Confucii & Progenitorum cultum permittendum: unde

Sæc. XVII.
A. C. 1656.

In ejus mandato die 26. Martii 1693. ex oppido Changlo Prov. Foki.

Sæc. XVII. etiam anno 1661. die decima tertia No-
A. C. 1656. vembris a S. Congregatione de Propa-
 ganda fide declaratum, quod utrum-
 que decretum de ritibus Sinensibus in
 suo vigore persistat, ac juxta quæsitâ,
 & circumstantias diversimode expoli-
 tas verum sit.

§. CXIX.

Venetorum victoria de Turcis.

Nani Hist.
Venet. l. 7.
Tald. Hist.
Europ. l. 6.
pag. 215.

Erat equidem hic annus Reipublice
 Ducibus oppido exitialis; eorum
 enim duo intra trimestre fati cessa-
 runt; postquam enim Contareus die
 vigesima octava Aprilis mortalitatem
 exuerat, Franciscus Cornarus die se-
 cunda Maji eidem subrogatus vigesimo
 post die e vivis excessit, cui die deci-
 ma sexta Junii successit Bertuccius Vi-
 lerius, ad Rempublicam novis victoriis
 nobilitandam reservatus: Hic enim, sub
 Architalasso Laurentio Marcello, sexa-
 ginta quinque navigiis validam clas-
 sem instruxit, adjunctisque septem Ve-
 litensium triremibus, quas Carata re-
 gebat, bellum contra Turcas toto
 dore profequi statuit. Ejus igitur in-
 terio Marcellus Helleponti fauces ar-
 obsedit, navibusque circum positâ,
 Turcæ annonam, recentemque militiam
 in Cretensem Insulam invehent, sub-